

resurrectionis sit causa, ostendit 1 ad Cor. 15, 12: "Si autem Christus praedicatur quod resurrexit, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam resurrectio mortuorum non est?" Pulchre autem Apostolus peccatorum remissionem Christi attribuit morti, justificationem vero nostram resurrectioni; ut designetur conformitas et similitudo effectus ad causam. Nam sicut peccatum deponitur, cum remittitur; ita Christus moriendo deposuit passibilem vitam, in qua erat similitudo peccati. Cum autem aliquis justificatur, novam vitam adipiscitur: ita Christus resurgendo novitatem gloriae consecutus est. Sic igitur mors Christi est causa remissionis peccati nostri et effectiva instrumentaliter, et exemplaris sacramentaliter, et meritoria. Resurrectio autem Christi fuit causa resurrectionis nostrae effectiva quidem instrumentaliter, et exemplaris sacramentaliter: non autem meritoria: tum quia Christus jam non erat viator, ut sibi mereri competeret: tum quia claritas resurrectionis fuit praemium passionis, ut per Apostolum patet Philipp. 2.

Sic igitur manifestum est quod Christus potest dici primogenitus resurgentium ex mortuis, non solum ordine temporis, quia primus resurrexit secundum praedicta; sed etiam ordine causae, quia resurrectio ejus est causa resurrectionis aliorum; et in ordine dignitatis, quia prae cunctis gloriosior resurrexit. Hanc igitur fidem resurrectionis Christi Symbolum fidei continet dicens: "Tertia die resurrexit a mortuis."

CAPUT CCXL.

De duplici praemio humiliationis, scilicet resurrectione et ascensione.

Quia vero secundum Apostolum exaltatio Christi praemium fuit humiliationis ipsius, consequens fuit ut duplici ejus humiliationi duplex exaltatio responderet. Humiliaverat namque se primo secundum mortis passionem in carne passibili, quam assumpserat; secundo quantum ad locum, corpore posito in sepulcro, et anima ad inferos descendente. Primae igitur humiliationi respondet exaltatio resurrectionis, in qua a morte ad vitam rediit immortalem: secundae humiliationi respondet exaltatio ascensionis; unde Apostolus dicit Ephes. 4, 10: Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos. Sicut autem de Filio Dei dicitur, quod est natus, passus et sepultus, et quia resurrexit, non tamen secundum naturam divinam, sed secundum humanam: ita et de Dei Filio dicitur quod ascendit in caelum, non tamen secundum divinam naturam, sed secun-

dum humanam. Nam secundum divinam naturam nunquam a caelo discessit, semper ubique existens. Unde ipse dicit, Joan. 3, 13: "Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, Filius hominis qui est in caelo." Per quod datur intelligi, quod sic de caelo descendisse dicitur naturam assumendo terrenam, quod tamen in caelo semper permansit. Ex quo etiam considerandum est, quod solus Christus propria virtute caelos ascendit. Locus enim ille debebatur ei qui de caelo descenderat ratione suae originis. Alii vero per se ipsos ascendere non possunt, sed per Christi virtutem, ejus membra effecti. Et sicut ascendere in caelum convenit Filio Dei secundum humanam naturam, ita additur alterum quod convenit ei secundum naturam divinam, scilicet quod sedeat ad dexteram Patris. Non enim ibi cogitanda est dextera, vel sessio corporalis; sed quia dextera est potior pars animalis, datur per hoc intelligi quod Filius considet Patri non in aliquo minoratus ab ipso secundum divinam naturam, sed omnino in ejus aequalitate existens. Potest tamen et hoc ipsum attribui Filio Dei secundum humanam naturam: ut secundum divinam naturam intelligamus Filium in ipso Patre esse secundum essentiae unitatem, cum quo habet unam sedem regni, idest potestatem eandem. Sed quia solent regibus aliqui assidere, quibus scilicet aliquid de regia potestate communicant: ille autem potissimus in regno esse videtur quem rex ad dexteram suam ponit, merito Filius Dei etiam secundum humanam naturam dicitur ad dexteram Patris sedere, quasi super omnem creaturam in dignitate caelestis regni axaltatus. Utroque igitur modo sedere ad dexteram est proprium Christi: unde Apostolus ad Heb. 1, 13, dicit: "Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis?" Hanc igitur Christi ascensionem confitemur in Symbolo, dicentes: "Ascendit in caelum, sedet ad dexteram Dei Patris."

CAPUT CCXLI.

Quod Christus secundum naturam humanam judicabit.

Ex his quae dicta sunt, manifeste colligitur quod per Christi passionem et mortem, resurrectionis atque ascensionis gloriam, a peccato et morte liberati sumus, et justitiam et immortalitatis gloriam, hanc in re, illam in spe adepti. Haec autem quae praediximus, scilicet passio, mors et resurrectio, et etiam ascensio, sunt in Christo completa secundum humanam naturam. Consequenter igitur oportet dici, quod secundum ea quae in humana natura Christus vel passus est vel fecit, nos a malis tam spiritualibus, quam corporalibus liberando, ad spiritualia

et aeterna bona promovit. Est autem consequens ut qui aliquibus aliqua bona acquirit, eadem ipsis dispenset. Dispensatio autem honorum in multos requirit iudicium, ut unusquisque secundum suum gradum accipiat. Convenienter igitur Christus secundum humanam naturam, secundum quam mysteria humanae salutis implevit, iudex constituitur a Deo super homines, quos salvavit: unde dicitur Joan. 5, 27: "Potestatem dedit ei iudicium facere," scilicet Pater Filio, "quia filius hominis est." Quamvis et hoc habeat aliam rationem. Est enim conveniens ut iudicem videant iudicandi: Deum autem, apud quem iudicis auctoritas residet, in sua natura videre est praemium, quod per iudicium redditur. Oportuit igitur quod Deus iudex, non in natura propria, sed in natura assumpta ab hominibus videretur qui iudicandi sunt, tam bonis quam malis. Multi enim si Deum in natura Divinitatis viderent, jam praemium reportarent, quo se reddiderunt indignos. Est etiam conveniens exaltationis praemium humiliationi Christi respondens, qui usque ad hoc humiliari voluit, ut sub homine iudice iudicaretur injuste; unde ad hanc humiliationem exprimentam signanter in Symbolo eum sub Pontio Pilato passum fatemur. Hoc igitur exaltationis praemium debebatur ei ut ipse secundum humanam naturam iudex a Deo omnium hominum mortuorum et vivorum constitueretur, secundum illud Job 36, 17: "Causa tua quasi impii iudicata est: causam iudiciumque recipies." Et quia potestas iudiciaria ad Christi exaltationem pertinet, sicut et resurrectionis gloria; Christus in iudicio apparebit non in humilitate, quae pertinebat ad meritum, sed in forma gloriosa ad praemium pertinente: unde dicitur in Evangelio (Luc. 21, 27), quod "videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna et majestate." Visio autem claritatis ipsius electis quidem, qui eum dilexerunt, erit ad gaudium, quibus Isa. 33, 17, promittit: "Regem in decore videbunt;" impiis autem erit ad confusionem et luctum, quia iudicantis gloria et potestas, damnationem timentibus, tristitiam et metum inducit: unde dicitur Isa. 26, 11: "Videant et confundantur zelantes populi, et ignis hostes tuos devoret." Et quamvis in forma gloriosa se ostendat, apparebunt tamen in eo indicia passionis non cum defectu, sed cum decore et gloria, ut ex his visis et electi recipiant gaudium, qui per passionem Christi se liberatos recognoscent, et peccatores tristitiam, qui tantum beneficium contempserunt: unde dicitur Apoc. 1, 7: "Videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt; et plangent se super eum omnes tribus terrae."

CAPUT CCXLII.

Quod ipse omne iudicium dedit Filio suo, qui horam scit iudicii.

Et quia Pater omne iudicium dedit Filio, ut dicitur Joan. 5, nunc autem humana vita justo Dei iudicio dispensatur, ipse enim est qui iudicat omnem carnem, ut Abraham dixit. Gen. 18; non est dubitandum etiam hoc iudicium, quo in mundo reguntur homines, ad Christi potestatem iudiciariam pertinere: unde etiam ad ipsum introducuntur in Psal. 109, 1, verba Patris dicentis: "Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum." Assidet enim a dextris Dei secundum humanam naturam, in quantum ab eo recipit iudiciariam potestatem: quam quidem etiam nunc exercet antequam manifeste appareat quod omnes inimici pedibus ejus subjecti sint: unde et ipse statim post resurrectionem dixit, Matth. ult. 18: "Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra."

Est autem et aliud Dei iudicium, quo unicuique in exitu mortis suae retribuitur quantum ad animam secundum quod meruit. Justi autem dissoluti cum Christo manent, ut Paulus desiderat; peccatores autem mortui in inferno sepeliuntur. Non enim putandum est hanc discretionem absque Dei iudicio fieri, aut hoc iudicium ad Christi potestatem iudiciariam non pertinere: praesertim cum ipse discipulis suis dicat, Joan. 14, 3: "Si abiero et praeparavero vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad me ipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis." Quod quidem tolli nihil est aliud quam dissolvi, ut cum Christo esse possimus: quia "quamdiu sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino," ut dicitur 2 Cor. 5, 6.

Sed quia retributio hominis non solum consistit in bonis animae, sed etiam in bonis corporis, iterato per resurrectionem ab anima resumendi, omnisque retributio requirit iudicium; oportet et aliud iudicium esse, quo retribuatur hominibus secundum ea quae gesserunt non solum in anima, verum etiam in corpore. Et hoc etiam iudicium Christo debetur: ut sicut ipse pro nobis mortuus resurrexit in gloria, et caelos ascendit, ita etiam ipse sua virtute faciat resurgere corpora humilitatis nostrae configurata corpori claritatis suae, ut ea in caelum transferat, quo ipse praecessit ascendens, et pandens iter ante nos, ut fuerat per Michaeam praedictum. Resurrectio autem omnium simul fiet in fine saeculi hujus, ut supra iam diximus: unde hoc iudicium, commune et finale iudicium erit, ad quod faciendum Christus creditur secundo venturus cum gloria.

Sed quia in Psal. 35, 7, dicitur: "Judicia Domini abyssus multa;" et Apostolus dicit ad Rom. 11, 33: "Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus!" in singulis praemissorum judiciorum est aliquid profundum et incomprehensibile humanae cognitioni. In primo enim Dei judicio, quo praesens vita hominum dispensatur, tempus quidem judicii manifestum est hominibus, sed retributionum ratio latet, praesertim quia bonis plerumque mala in hoc mundo eveniunt, et malis bona. In aliis autem duobus Dei judiciis retributionum quidem ratio in evidenti erit, sed tempus manet occultum, quia et mortis suae tempus homo ignorat, secundum illud Eccle. 9, 12: "Nescit homo finem suum;" et finem hujus saeculi nemo scire potest. Non enim praescimus futura, nisi quorum comprehendimus causas. Causa autem finis mundi est Dei voluntas, quae est nobis ignota: unde nec finis mundi ab aliqua creatura praesciri potest, sed a solo Deo secundum illud Matth. 24, 36: "De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli caelorum, nisi Pater solus."

Sed quia in Marco legitur, "neque Filius," sumpservit aliqui errandi materiam, dicentes Filium Patre minorem, quia ea ignorat quae Pater novit. Posset autem hoc evitari ut diceretur, quod Filius haec ignorat secundum humanam naturam assumptam, non autem secundum divinam, secundum quam unam sapientiam habet cum Patre, vel ut expressius dicatur, est ipsa sapientia in corde concepta. Sed hoc inconveniens videtur ut Filius etiam secundum naturam assumptam, divinum ignoret judicium, cum ejus anima, Evangelista testante, plena sit Dei gratia et veritate, ut supra dictum est. Nec etiam videtur habere rationem, ut cum Christus potestatem judicandi acceperit, quia filius hominis est, tempus sui judicii secundum humanam naturam ignoret. Non enim omne judicium Pater ei dedisset, si determinandi temporis sui adventus esset ei subtractum judicium. Est ergo hoc intelligendum secundum usitatum modum loquendi in Scripturis, prout dicitur tunc Deus aliquid scire quando illius rei notitiam praebet, sicut dicit ad Abraham Genes. 22, 12: "Nunc cognovi quod timeas Dominum;" non quod tunc inciperet noscere qui omnia ab aeterno cognoscit; sed quia ejus devotionem per illud factum ostenderat. Sic igitur et filius dicitur diem judicii ignorare, quia notitiam discipulis non dedit, sed eis respondit. Act. 1, 7: "Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate." Pater autem isto modo non ignorat, quia saltem Filio hujus rei notitiam dedit per generationem aeternam. Quidam tamen brevius se expediunt, dicentes hoc esse intelligendum de filio adoptivo. Ideo autem voluit Dominus tempus futuri judicii esse occultum, ut homines solliciti

vigilarent, ne forte tempore judicii imparati inveniantur: propter quod etiam voluit tempus mortis uniuscujusque esse ignotum. Talis enim in judicio unusquisque comparebit, qualis hinc per mortem exierit: unde Dominus dixit Matth. 24, 42: "Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit."

CAPUT CCXLIII.

Utrum omnes judicabuntur, an non.

Sic igitur secundum praedicta patet quod Christus habet judiciariam potestatem super vivos et mortuos. Exercet enim judicium et in eos qui in praesenti saeculo vivunt, et in eos qui ex hoc saeculo transeunt moriendo. In finali autem judicio judicabit simul vivos et mortuos: sive per vivos intelligantur justi qui per gratiam vivunt, per mortuos autem peccatores, qui a gratia exciderunt; sive per vivos intelligantur, qui in adventu Domini vivi reperientur, per mortuos autem qui antea decesserunt. Hoc autem non est hic intelligendum, quod aliqui sic vivi judicentur quod nunquam senserint corporis mortem, sicut aliqui posuerunt. Manifeste enim Apostolus dicit 1 Cor. 15, 51: "Omnes quidem resurgemus;" et alia littera habet: "Omnes quidem dormiemus," id est moriemur: sive ut in aliquibus libris habetur, "non omnes quidem dormiemus," ut Hieronymus dicit in epistola ad Minerium de resurrectione carnis: quod praedictae sententiae firmitatem non tollit. Nam paulo ante praemiserat Apostolus: "Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et omnes in Christo vivificabuntur;" et sic illud quod dicitur, "Non omnes dormiemus," non potest referri ad mortem corporis, quae in omnes transivit per peccatum primi parentis, et dicitur Rom. 5; sed exponendum est de dormitione peccati, de qua dicitur Ephes. 5, 14: "Surge qui dormis, et exurge a mortuis; et illuminabit te Christus." Distinguentur ergo qui in adventu Domini reperientur, ab his qui ante decesserunt, non quia ipsi nunquam moriantur, sed quia in ipso raptu quo rapiuntur in nubibus obviam Christo in aera, morientur, et statim resurgent, ut Augustinus dicit.

Considerandum tamen est, quod ad judicium tria concurrere videntur. Primo quidem quod aliquis praesentetur; secundo quod ejus merita discutiantur; tertio quod sententiam accipiat. Quantum igitur ad primum, omnes boni et mali a primo homine usque ad ultimum judicio Christi subdentur: quia, ut dicitur 2 ad Cor. 5, 10, "omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi;" a quorum generalitate non excluduntur etiam parvuli, qui vel sine baptismo vel cum baptismo deces-

BIBLIOTECA CENTRAL

serunt, ut Glossa dicit ibidem. Quantum vero ad secundum, scilicet ad discussionem meritorum, non omnes judicabuntur, nec boni nec mali. Non enim est necessaria iudicii discussio, nisi bona malis permisceantur; ubi vero est bonum absque commixtione mali, vel malum absque commixtione boni, ibi discussio locum non habet. Bonorum igitur quidam sunt qui totaliter bona temporalia contempserunt, soli Deo vacantes, et his quae sunt Dei. Quia ergo peccatum committitur per hoc quod, spreto incommutabili bono, bonis commutabilibus adhaeretur, nulla videtur esse in his commixtio boni et mali: non quod absque peccato vivant, cum ex eorum dicatur persona 1 Joan. 1, 8: "Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus:," sed quia in eis sunt levia quaedam peccata, quae per fervorem caritatis quodammodo consumuntur, ut nihil esse videantur: unde hi in iudicio non judicabuntur per meritorum discussionem. Qui vero terrenam vitam agentes, rebus saecularibus intendentes utuntur eis non quidem contra Deum, sed eis plus debito inhaerentes, habent aliquid mali bono fidei et caritatis admixtum, secundum aliquam notabilem quantitatem, ut non de facili apparere possit quid in eis praevaleret: unde tales judicabuntur etiam quantum ad discussionem meritorum. Similiter etiam ex parte malorum notandum est, quod principium accedendi ad Deum est fides, secundum illud Heb. 11, 6: "Credere oportet accedentem ad Deum.," Qui ergo fidem non habet, nihil boni invenitur in eo, cujus ad mala permixtio faciat ejus dubiam damnationem; et ideo condemnabitur absque meritorum discussione. Qui vero fidem habet et caritatem non habet, nec bona opera, habet quidem aliquid unde Deo conjungitur. Unde necessaria est meritorum discussio, ut evidenter appareat quid in isto¹ praeponderet, utrum bonum vel malum: unde talis cum discussione meritorum damnabitur; sicut rex terrenus civem peccantem cum audientia damnat, hostem vero absque omni audientia punit. Quantum vero ad tertium, scilicet sententiae prolationem, omnes judicabuntur, quia omnes ex ipsius sententia vel gloriam vel poenam reportabunt: unde dicitur 2 Corinth. 5, 10: "Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum."

CAPUT CCXLIV.

Quod non erit examinatio in iudicio quia ignoret, et de modo et loco.

Non est autem existimandum, quod discussio iudicii erit necessaria ut iudex informetur, sicut contingit in humanis iudi-

¹ Al. in Christo.

ciis, cum omnia sint "nuda et aperta oculis ejus," ut dicitur Hebr. 4, 13. Sed ad hoc est necessaria praedicta discussio, ut unicuique innotescat de se ipso et de aliis, quomodo sint digni poena vel gloria; ut sic boni in omnibus de Dei justitia gaudeant et mali contra se ipsos irascantur. Nec est aestimandum quod hujusmodi discussio meritorum verbo tenus fiat. Immensum enim tempus requireretur ad enarrandum singulorum excogitata, dicta et facta bona vel mala: unde Lactantius deceptus fuit, ut poneret diem iudicii mille annis duraturum; quamvis nec hoc tempus sufficere videatur, cum ad unius hominis iudicium modo praedicto complendum plures dies requirerentur. Fiet virtute divina ut statim unicuique occurrant bona vel mala omnia quaecumque fecit, pro quibus est praemiandus vel puniendus; et non soli unicuique de se ipso, sed etiam unicuique de aliis. Ubi ergo intantum bona excedunt, quod mala nullius videntur esse momenti, aut e converso: nulla esse concertatio videbitur bonorum ad mala secundum existimationem humanam, et propter hoc sine discussione praemiari vel puniri dicuntur.

In illo autem iudicio licet omnes Christo assistant, different tamen boni a malis non solum quantum ad causam meritoriam, sed etiam loco segregabuntur ab eis. Nam mali, qui terrena diligentes a Christo recesserunt, remanebunt in terra; boni vero, qui Christo adhaeserunt, obviam Christo occurrent in aëra sublevati, ut Christo conformentur, non solum configurati gloriae claritatis ejus, sed in loco consociati, secundum illud Matth. 24, 28: "Ubi cumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae:," per quas significantur sancti. Signanter autem loco corporis in Hebraeo "joatham,"¹ dicitur secundum Hieronymum, quod "cadaver," significat ad commemorandum Christi passionem, per quam Christus et potestatem judicariam promeruit, et homines conformati passioni ejus ad societatem gloriae illius assumuntur, secundum illud Apostoli: "Si compatimur et conregnabimus:," 2 Tim. 2, 12. Et inde est quod circa locum dominicae passionis creditur Christus ad iudicium descensurus, secundum Joel. 3, 2: "Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi:," quae subjacet monti Oliveti, unde Christus ascendit. Inde etiam est quod veniente Domino ad iudicium, signum crucis et alia passionis indicia demonstrabuntur, secundum illud Matth. 24, 30: "Et tunc apparebit signum filii hominis in caelo:," ut impii videntes in quem confixerunt, doleant et crucientur; et ii qui redempti sunt, gaudeant de gloria redemptoris. Et sicut Christus a dextris Dei sedere dicitur secundum humanam naturam, in quantum est ad bona potissima Patris sublimatus, ita